

DE CONFESSORIBUS VERITATIS.

beratione ex tantâ captivitate gemuerint. Patrum nostrorum memoriâ hoc institutum latius curatiusq; prosecutus est immortalis memoriæ Theologus, D. Jo. Gerhardus in Confessione, quam vocat, Catholicâ, qui, illorum, ait, testimonia, qui Papalibus erroribus cataclysmi instar inundantibus nullâ periculorum ac minarum ratione habitâ masculè contradixerunt, quorum complures testimonium suum voce vel scripto prolatum etiam sanguine suo obsignare minimè dubitarunt, in hoc libro in medium producere fuit animus, ut liquidò manifestum fieret, superioribus illis, quæ doctrina reformationem præcessere, seculis nec Deo Ecclesiam, nec Ecclesiæ veritatem, nec veritati confessores unquam defuisse. (3.)

III. Ut verò illi Theologi quandam testium nubem ex omni Ecclesiæ ætate Divinæ, quam Lutherana Ecclesia profitetur, veritati suffragantem, produxerunt: ita alii singulares Ecclesiæ ex vario seculorum ordine doctores, Lutheri doctrinæ vel ex toto vel ex parte adstipulantes. Augustinum in Parallelis Jo. Pappus, & postea Anton. Reiserus, Chrysostrum Jo. F. Mayerus, Justinum Martyrem Christian. Nifanius, Thomam Aquinatem Jo. Georg. Dorscheus, Carolum V. Imperatorem denuò Jo. Frid. Mayerus. Judicatum summo Ecclesiæ nostræ ejusque doctorum consensu fuit, utilissimam & ad convincendos adversarios efficacissimam operam in id argumentum collocatam esse. Sed Arnoldo, ut univerla Ecclesiæ nostræ instituta, ita hoc quoque sine censorio supercilio & aculeatâ suggillatione dimittendum non fuerat. Si enim indifferentia sunt omnium religionum placita, dummodo animum tuum à vitiorum immunditie liberares, studeasq;

A 2

(1) In Dedic. Epist.